Viro Excellentissimo et Celeberrimo
Samueli Christiano Hollmanno.
Philosophiae in Alma Georg Augusta
meritissimo
S. P. D.
Martinus Knutzen.

Plurimas maximasque grates Tibi debeo agoque pro transmisso recentioris Philosophiae Tuae operis Editionis munere. Quod tam tarde agam veniam dabis, Vir Celeberrime: exspectavi enim occasionem, quae praeter spem tardius contigit. Nunc cum Nob. Himsel, Med. Cult. Aud. quondam meus [optimae frei] mihi significaverit, se vestram Georg Augu celeberrimam esse inviserum, non potui, quin in amicitiae et venerationis tesseram, aliquid ad Te litterarum

210v

litterarum decori.

Non dubito, quin Tibi exemplar aliquod Logicae meae
ut Bibliopolae, ni fallor, in mandatis dedi statim
post eius editionem rite fuerit exhibitum ac Lipsiam
transmissum. Licet in levioribus a Te nonnunquam
dissentiam; pro cognita Tua animi magnitudine
non credo Te id aegre laturum: jungimur veri-
tatis amore a partium studiis remoto. Perplacuit
quod non solita libertate subinde Tuum contra
Celeb. aetatis nostrae Philosophum Wolffium dissensum
rationibus subnixum testatus fueris, licet non sis,
ut alii, a recentiori Philosophia alienus.
Ignosces vero, quod ex Tua benevolentia, ne munus
Tuum benigne transmissum mutilum maneat
plagulam, Kk et Ll ex opere Tuo Logico s. Tom I.
Philosophiae Tuae humanissime mihi expetam: hisce enim
plagulis carebat munus Tuum ex Tuo favore
mihi oblatum. Si quid interea dissertationum edidisti
harum communicatio mihi esset gratissima. Vale
ac mihi ulterius favere perge.

Dabam. Regiomonti. MDCCL d. XII Martii

Rd. d. 2. Octobr. et misi p. bibliop. Vandenh. plagg. desideratas, cum primis literis phys.